Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26007
Copyright: Admont, Benediktinerstift

44

de vii. panibus et pisciculis paucis quattuor milia hominum satura
vit divinae opus esse virtutis. Mystice autem hoc miraculo de
signatur. quod viam saeculi praesentis aliter incolomes transire nequimus.
nisi nos gratia redemptoris nostri alimento sui verbi reficiat. Hoc vero ty
pice inter hanc refectionem et illam v. panum ac duorum piscium
distat. quod ibi littera veteris instrumenti spiritali gratia plena esse
signata est. hic autem novi veritas et gratia monstrata est. Sane testamenta fidelibus ministranda.
utraque refectio in monte celebrata est. ut aliorum euangelistarum
narratio declarat. quia utriusque scriptura testamenti recte in
tellecta. altitudinem nobis caelestium et praeceptorum mandat et
premiorum. utraque altitudinem Christi quae est mons domus domini in vertice
montium. consona voce praedicat. Qui enim edificatam civitatem
super se. sive domum domini id est ecclesiam in alta bonorum extollit ope
rum. et cunctis manifestam gentibus exhibet. ipse hanc ab in
fimis delectationibus abstractam pane caeli reficit. atque ad ap
petitum supernae suavitatis dato pignore cibi spiritalis accendit.
Turba quidem dominum triduo propter sanationem infirmorum suorum sustinet.
cum electi quique fide sanctae trinitatis lucidi domino pro suis suorumque pec
catis animae, videlicet languoribus perseveranti instantia sup
plicant. Item turba triduo dominum sustinet. quando multitudo
fidelium peccata quae perpetravit pro paenitentiam declinans ad
dominum se in opere. in locutione. in cogitatione. convertit.
Videlicet sustinuerunt triduo. quia cum esset in monte ut narrat ma
theus expectaverunt dominum. quoadusque descenderet. Et si dimi
sero eos ieiunos in domum suam. deficient in via. Per hoc quidem quod